

l. Sax. H
303

142 Poet

2.

LAUDES
LIPSIÆ,
DULCISSIMÆ PATRIÆ,
ORATIONE SOLENNI,

HABITA

DIE XXV. AUG. M DCC XXIIIX.

CUM MEMORIA

DANIELIS ÆGIDII
HEINRICI,

JCTI SUMMI,

RENOVANDA ESSET,

DECANTATÆ

A

M. FRIDER. OTTONE MENCKENIO.

LIPSIÆ,

IMPENSIS JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FILII.

05733

Hist. urb. Sax. F. 115.



[The text on this page is extremely faint and illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. It appears to be a list or index of entries.]

VIRO ILLUSTRİ,
MAGNIFICO, SUMME REVERENDO,
ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
MICHAELI HENRICO
GRIBNERO,

JURISCONSULTO CONSUMMATISSIMO,
HÆREDITARIO IN GOHLIS, SERENISSIMO PO-
TENTISSIMOQVE REGI POLONIARUM ET ELECTORI
SAXONIÆ A CONSILIIS AULÆ ET JUSTITIÆ, IN CU-
RIA SUPREMA PROVINCIALI, QVÆ LIPSIÆ FLORET,
ASSESSORI PRIMORI, REVERENDISSIMI CAPITULI
MARTISBURGENSIS CANONICO, DECRETALIUM PRO-
FESSORI PUBLICO, ACADEMIÆ DECEMVIRO, ET FA-
CULTATIS JURIDICÆ LIPSIENSIS ORDINARIO
LONGE GRAVISSIMO,

DE SINGULIS MUNERIBUS IMMORTALITER
MERITO,
INSIGNI ALMÆ LIPSIÆ ORNAMENTO,
PATRONO ÆTERNUM COLENDO,
VENERANDO,
DE LAUDIBUS LIPSIÆ,
INERS ET LEVE CARMEN
SUBMISSE OFFERT

TANTI NOMINIS ASSIDUUS CULTOR
FRIDERICUS OTTO MENCKENIUS.

PLissiacas nuper Philyre confedit ad undas,
Effundens pleno gaudia mille sinu;
Floribus & variis molles decorata lacertos,
Carmine per patulos ludere cœpit agros.
Altaque magnifico radiantia respicit ostro
Mœnia, culminibus non ruitura suis.
Quæque videt Pariis, miratur, stare columnis,
Et Superûm valida surgere, tecta, manu,
Pieridumque sacrum Musarum limen, & urbem
Per mediam Clario castra locata Deo.
Nunc mihi funestam meditentur fata ruinam,
Stans ait, & nostros terreat imber agros,
Terreat, & sacras petat atro grandine tures;
Stabo, nec antiquo frangar agarve loco.
Major erit fatis Philyre, seque efferet astris,
Donec erunt natis robora prisca meis;
Donec & in tantis virtus erit ignea fulcris,
Et dicar fortes progenerare viros.
Jam mihi quæque domus firmatos robore natos,
Urbsque mea heroum millia multa capit.
His scio, si rapidum quatiat mihi mœnia fulmen,
His scio me ducibus condere posse nova.
Quid? mihi GRIBNERI famuletur dextra potentis,
Una manus magnum sic reparabit opus.



RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE,
VIRI CÆTERI PRÆSTANTISSIMI,

Tuque mihi dilecta cohors, dilecta Minervæ,
Qua per Pliffiacos nihil est pretiosius agros.

Surgite, quos tacitis intra præcordia flammis
Hactenus urget amor patriæ, quos commovet ultro
Vis agitata Deo, Deus & quos excitat ipse,
Vos, quibus ardor inest, pietasque animosa medullas
Excoquit, atque sacro sedet ignea pectore virtus,
Surgite nunc roseo, nunc tollite membra, cubili,
Fortunata cohors, quam splendida Lipsia blando
Demulcet gremio, patulisque amplectitur ulnis,
Ferte pedes agiles, agedum, concurrите cives,
Tollite mecum animos, focias mihi jungite dextras,
Et date, quæ vestros sunt optima dona per hortos,
Spargite nunc flores, nunc oscula mollia terræ

B

Figi-

Figite florigeræ, simul & superaddite vota;
Non etenim vobis data sunt cœlestia frustra
Otia, sed magnam fas est celebrare parentem
Laudibus, & meritis nitide decorare coronis,
Quisque mihi vestrûm dux sit, penetremus ad aras,
Ducite me tumidi per summa cacumina montis,
Nam sequar, & precor hoc, erit hæc suavissima sedes,
Huc sequar, unde tuas mihi detur, Lipsia, turrets,
Mœnia, prata, vias, fylvas, hortosque domosque,
Atque viros Nymphasque tuas, decus omne superbum,
Et quodcunque tibi solido micat altius auro,
Erranti spectare oculo, placidosque Penates
Visere posse procul; sacro tunc igne caleſcam,
Immenſas miratus opes, & facta Deorum
Atria celsa manu, mihi tunc stupefacta resolver
Ora Deus, pascensque animum dulcedine terræ,
Effundam placidas imo de pectore voces.
Vix etenim quisquam, modo non sit truncus & excors,
Aut sit inhumani nutritus Oaxis ad undas,
Aut per Caucaſeas fera fugerit ubera rupes,
Vix erit, aerias procul has cum viderit arces,
Qui Superis neget eſſe ſacras, neget auspice ſummo
Stare Jove, ac tantum tenuiſſe cacumen, & iſti
Se jaçtet vidiffe pares ac efferat urbes,

Nec

Nec stupeat tanta confusus imagine rerum,
Quas alibi quæras frustra, tibi, Lipsia, soli
Sponte dedit natura parens, nec mollia capret,
Queis fruimur cives a longis, otia, feclis,
Nec velit in nostris dici novus incola terris.
Non, mihi Larissæ si detur campus optimæ,
Aut Pelusiaci pinguisima rura Canopi,
Semideis habitata viris, ubi flumine Nilus
Effuso fœcundat agros, ditatque colonos,
Quosve jubet media pendere Semiramis aura,
Ut flatu penetret propiore Favonius, horti,
Ver ubi purpureum divinos spirat odores,
His licet æternùm jubear confidere terris,
Et stabiles firmare domos, & mollibus omne
Ducere deliciis ævum, nullisque carere
Divitiis Superùm, non his, o Lipsia, tectis
Egrediar, nostros aliquis dum spiritus artus
Permeat, his nunquam rapiat me Jupiter arvis,
Nec pede dimoveat, meliora nec ulla paternis
Rura dabit, qua terra patet, qua volvitur æther;
Nulla placere magis poterunt, hæc sola sub umbris
Me recreant placidis, faciuntque capeffere fomnos;
Seu vivam, patriis liceat mihi vivere tectis,
Seu moriar, patriis quoque sint mea funera campis.

O mea, jam patulis mihi complectenda lacertis,
Inclyta, & egregios posthac genitura nepotes,
O dilecta meis, o terra habitata Camœnis,
Blanda parens, mortale nihil cui fata dederunt
Prospera, quæ teneris humilem me semper ab annis
Huc molli duxisti oculo, mihi mille parasti
Gaudia, mille meis fecisti rebus amicos,
Sim licet indignus, nec nunc has deseris ædes,
Quas mihi nascenti dederas, sed protegis ultro,
Auxilioque foves, & me pinguissima quæque
Munera, si vivam, feros sperare per annos,
Te tribuente, jubes, nec spe frustraris inani,
O mihi sint imis cuncta hæc infixæ medullis,
Et memori maneant semper mihi mente reposita,
Teque colam, multoque mihi sis charior auro!
Nunc quoque fac aliquos tibi nostra rependat honores
Musa rudis, moveatque alacri sua tympana plectro,
In laudes pulsanda tuas; huc blanda canenti
Ora feras, nitidis venias ornata lapillis,
Et pulchro formosa habitu, gemmisque superba,
Qualem sæpe solet radiis te Phœbus acutis
Pingere, cum mediis rutilo stat lumine cœlis,
Sic decorata veni, sic te cecinisse juvabit,
Si nihil ex tantis, quæ te fecere superbam,

Divi-

Divitiis nostræ modulanti desit avenæ,
Omnia sed pleno lustrem spectacula campo.
Multa placent aliis, placet hæc mihi sola voluptas,
Dicere de patriis mecum pia verba coronis,
Quis Superûm quondam tantas evexerit arces,
Excelsasque domos, & in hæc fastigia tures
Quis Deus extulerit, quæ sint tua, Lipsia, fata,
Qua tuleris virtute caput, qua creveris arte,
Quasve peregrinas vigeat tua fama per oras.
Novi equidem non esse meos e flumine natos
Castalidum versus, nihil esse leporis & artis,
Jucundique nihil, nec dulce & amabile quicquam,
Nec placido quondam nascentem lumine vidit
Melpomene, calamo sed ludere jussit agresti;
Nunc quoque cum timidum selectus quisque virorum
Dicere me jubeat, gracilesque intendere venas,
Rauca sonant nimio, fateor, mea plectra timore,
Et caderet penitus Musæ fiducia nostræ,
Abjiceremque animos, nisi me temerarius ausus,
Et pietas patriæ solitos revocaret in ignes.
Scilicet illa tamen nostræ fit gratia Musæ,
Quod Vestrum natale solum, celebrataque dudum
Mœnia Saxonibus, sedesque domosque beatas,
Quas avus & proavus coluere, colentque nepotes,

C

Tecta-

Tectaque præ magnis caput extollentia tectis,
Et faciles experta Deos, largosque Penates,
Nunc rudiore licet calamo memoretque canatque.
Jamque mihi video sensim mollescere venas,
Et bene nutritas tacitis turgescere flammis,
Atque agilem gaudere animam, viresque canendo
Sumere, & effuso multum sibi plaudere cantu.
Tu modo nunc castas inter regina Camœnas,
Calliope facunda Tuo delabere Pindo,
Monte sacro, & levibus sublata per æthera pennis,
Linque domos patrias, & gaudia rumpe sororum,
Et lateri te siste meo, nec desere vatem
Blanda tuum, (Te poscit enim) citharamque fidesque
Affer Threicias, huc affer Apollinis artem,
Et jucunda rudem doceas modulamina dextram,
Et molles numeros, & verba his digna virorum
Auribus, & vocem fac esse canentis amœnam.

Sint Baccho Thebæ, decori sit Roma Gradivo,
Extollat Cytherea suæ sublimia Trojæ
Mœnia, sint duro sua curæ Mænala Pani,
Quasque Jovis conjux olim sibi condidit arces,
Ipsa colat, Spartamque suo de nomine dicat;
Nec quoque nostra jacent viridantia rura potenti

Deso-

Defolata Deo, est & nostris Numen in agris,
Est auspex, statorque tuos, Philuræa, per hortos,
Quo capias moderante decus, præque omnibus una
Emineas aliis, longo celsissima muro;
Te Pallas, Te Phœbus amat, Charitesque venustæ,
Castalidesque suo dignantur numine Musæ.
Hi Tibi quæque ferunt sua largis munera dextris,
Altaque Plissiaci defendunt culmina Pindi.
Scilicet æthereis olim cum quisque Deorum
Sedibus egressus, terrestres viseret oras,
Et turrata suis exquireret oppida sacris,
Fas ubi sit plenis venerari Numen acerris,
Quæ coleret, faceretque suis dignissima donis,
Auxiliisque juvet, celsoque extollat olympo;
Quilibet inde suam tenuit sibi protinus urbem,
Et cinxit muro, dux & confedit in illa,
Ut placuit quæcunque magis, meliusve refulsit,
Et cessit Superis mox præstantissima quæque,
Nulla tamen Phœbo, qui celsis ultimus astris
Huc vectus, simili sed inani quæsit ausu
Mœnia digna Deo, similique nitescere cultu;
Huc videt ac illuc, totum circumspicit orbem,
Qua rutilus surgit Titan, qua conditur ora,
Terrestres iteratque vias, secumque Penates

Fert nube instabiles, cupit & sua ponere sacra
Sedibus æternis, plenas sed conspicit urbes
Numine quasque suo, nec binum admittere regem,
Non iter erranti, nullumque patescere limen,
Quod ferat ad muros, manet hinc desertus, & hæret
Æthere sub medio, nescitque fugare dolorem,
Quo ruat, ignarus, quæ dulcia rura frequentet,
Mox tamen afflictam subit hæc sententia mentem,
Fallere nunc Superos, propriis & viribus uti,
Quas gerat ipse Deus, spatiosaque tecta potenti
Ædificare manu, queis splendidiora nec ullus
Monstraret Superûm, nec pristina viderit ætas.
Fert animus, celsas sub sydera ducere moles,
Et suavi fundare loco, saxisque vetustis,
Et templis ornare suis, nec parcere gemmis.
Inde suas subito per tympana læta Camœnas
Convocat, & facili docet hæc molimina vultu,
Quidque putent, rogitat, veteremque juvare sodalem
Per sua sceptrâ jubet, nunc & dare membra labori,
Ingenium curis; hinc toto prospicit orbe,
Quæ loca, quæ tellus tantis sit mœnibus apta,
Otia florigero quo sint suavissima campo.
Omnia pervolitat late loca diffita terræ,
Per Dacos Arabesque ruit, ditesque per Indos,

Perque

Perque vias Libycas, Libycis nec confidet arvis,
Hinc abit ad Thraces, placuit nec Thracia tellus,
Inde per Europæ cultissima rura potentis
Dum versat, volvitque oculos, & cernere gestit
Has regionis opes, dum prata virentia Rheni,
Et volucris cursu Germanas exit in oras,
Hic princeps media Phœbus stans eminus aura,
Saxoniam miratur agros, hortosque patentes,
Æthere sub placido florenti gramine pulchros,
Audit & ipse procul stillantis murmura fontis
Fluminei, & lento volvi per prata meatu
Fontis aquas, Plissam veteres dixere coloni,
Audit, & inventis secum gaudebat Apollo
Ruribus, & levibus subito demittitur alis,
Atque suis consistit agris; hic moenia nostris
Sunt statuenda sacris, dicit, mollique recumbam
Hic thalamo, & superas potero contemnere sedes.
Sic opus aggreditur, plauduntque probantque Camœnæ,
Plissiaci circum glomerantur fluminis undas,
Omnibusque novos celebrant & carmine muros,
Et sua laurigero tradunt munuscula Phœbo.
Jamque parant junctis educere viribus urbem,
Invictam celebremque Diis, altasque sub auram
Ædificare domos, arcesque locare superbas;

D

Inci-

Incipiunt alacres, duroque ex marmore celsa
Mœnia conficiunt, quæ sint dignissima Phœbo,
Moxque manu properante decus captare laboris,
Ad finem perducta vident nova tecta Camœnæ,
Excelsamque vident urbem, nitidumque repente
Materiem superavit opus, stant æthere turres
Vertice sublimi, nitet ars præclara Dearum,
Cuncta micant auro, fulgent & postibus æra,
Æra cavernosis nuper fabricata Cyclopum
Carceribus pulchre, multoque polita labore;
Desuper ipsa suo rutilant quoque tecta metallo,
Artificemque Deum produnt, dextramque potentem.
Tantæ molis erat, patrias educere turres,
O cives, sedesque Diis aptare perennes!
Ut videt exstructam Deus ac intravit in urbem
Cynthius, ac hilari lustravit singula vultu,
Obstupuit, mediaque stetit celsissimus aura,
Atque suum miratur opus, miratur & ipsas
Castalides, fociasque nova sibi jungit in urbe.
Nunc agite, o vestris, ait, hæc sint præmia dextris,
Quæ mihi structa patent, pateant quoque mœnia vobis,
Has habitate domos, erit hic quoque mitis Apollo,
Huc citharas artesque sacræ nunc ferte sorores,
Non eritis bifidi posthac Heliconis alumnae,

Hic

Hic Parnassus erit, Philyren nunc dicite Pindum,
Sola placet Philyre, Philyre mea sola voluptas,
Hæc adeunda patent Musæ juga grata canenti,
Nostraque Plisfiacis resonent pia plectra sub umbris.
Annuerant dictis Musæ, sedesque relinquunt
Antiquas, Phœbumque novam comitantur in urbem.

Talibus auspiciis, tanti sub Numinis astro
Immotis quondam stetit inclyta Lipsia fulcris,
His manibus fundata decus tulit alma perenne,
Nec magis a primo, nostis, splendore sequentes
Degenerasse dies; non, his dum fedit Apollo
Mœnibus, hæc unquam veniens everterat ætas,
Nec cecidere suo celsissima culmine tecta,
Sed seculo properante suis urbs creverat hortis,
Creverat urbs domibus, majori fulsit honore,
Emicuitque magis; magis his resplenduit annis,
Queis vestra, ò Cives, renovat solertia muros,
Hic agitare novas, illic reparare labantes
Gaudet dextra domos, gypsoque ornare tenaci,
Et sibi vicinos superare nitore Penates.
Vos, agedum, focii, totam mecum ite per urbem,
Hac iter ipse via carpam, vos ibitis illa,
Et loca, quæ nobis, numerate, inculta supersunt,

Non ubi stent tectis circumdata tecta propinquis,
Contiguisque domus domibus, non arcibus arces,
Talia, dispeream, si nos numerabimus ulla.
Hæc etenim, o Philyre, maneat laus splendida summis,
Quos alis alma, viris, hæc stabit gloria natis,
Quod memores, Laribus quæ sit reddenda paternis
Gratia, quæque suas tueantur Numina terras,
Te foveant, decorentque suis ornentque coronis,
Et primus tibi quisque novos persolvat honores,
Atque suis faciat tibi surgere mœnia dextris.
Finge tibi, ad nostras si quis descenderit oras,
Longinquis egressus agris, ac paupere terra,
Numine deserta, parcoque ubi vivere cultu,
Atque humiles habitare casas, ac sæpius olim
Ducere sub patulo consueverat æthere vitam,
Finge tibi, huc veniat, (venit huc sæpe Indus & Afer)
Structaque marmoreis hæc lustret mœnia faxis,
Artificum firmata manu, celsisque sub astra
Æternum, si fata volunt, educta columnis,
Et nullo ruitura ictu, solidoque superbas
Ære, & perpetuo valli munimine portas,
Et validos pontes, & propugnacula belli,
Magnificumque decus, jucundaque strata viarum,
Turrigerasque domos, stantes in nubibus alto

Ver-

Vertice sublimes, quibus auri pondera puri,
Ac ebur Attalicum renitet, fulgensque lacunar,
Divitiæque omnes, & magna palatia magnis
Ædificata viis, ferus haud quæ diruat Auster,
Fraxineasque trabes, & marmora splendida pictis
Strata pavimentis, hominum vix ista putaret
Esse parata manu, vix hæc mortalibus unquam
Esse habitata viris; hic atria sacra Deorum,
Hic ipsos putet esse Deos, sedesque beatas
Felici fixisse solo, sua templa domosque,
Et grave concilium, & Venerum penetrale, sacrumque
Quicquid habent Superi, nostram posuisse per urbem.
Vos quoque nunc ipsi, quibus hic præsentibus uti
Contigit, & placida spectatis fronte canentem,
Vos, sua quos dudum Plissenses misit in oras
Patria, nec vetuit meliores cernere terras,
Vos, patria egressos quos optima fata Deusque
Huc docuere vias, huc & duxere volentes,
Quos fovet, & tenero Philyre sibi junxit amore,
Vos mihi nunc testès eritis, vestrasque per aures
Non ego jam fumos dixisse videbor inanes;
Dicite, cum propior nostris accederet arvis,
Jamque ptopinquaret portis impulsa carina,
Mœnia jamque oculis starent hæc obvia vestris,

E

Dicite,

Dicite, (namque licet) vestros tunc qualis imago
Perculerit sensus, qua vos tellure potitos,
Quos tetigisse locos, qua consedisse sub ora,
Quæve intrasse vagam dixistis littora navem?
Talia num quondam conspecta palatia vestris
Vos meministis agris? huc læto sydere vectos,
Tunc vos pœnituit, patriasque revisere terras
Optastis reduces, aut vertere carbasa retro?
Non ita; sed læto scio vos clamore Penatum
Hoc subiisse novos venerabile limen alumnos,
His ego, (namque tuas quis, Lipsia, sperneret ædes?)
His nunquam, dum vita calet, vos cedere tectis,
Non ego vos aliis cernam considere campis.
Felix, heu nimium felix, quem lenior aura
Huc tulit, hic stabiles dederant cui numina sedes,
Otia & ad longos licet hæc proferre nepotes!

Nunc age, conspectis celebratæ mœnibus urbis,
Musa vias medias, ac atria linque domosque;
Sit fatis, in tantis tibi jam defixa stetisse
Lumina culminibus, fatis, hoc stupuisse nitore;
Non hæc sola tuo sunt carmine digna modisque,
Verte oculos, nam plura tibi miranda supersunt;
Sunt meliora tibi patulis spectanda theatris,
Quæque

Quæque magis placeant; divini splendor honoris
 Pliffiacos intra muros effulget & extra;
 Porrigere blanda manum, juvet ultra vadere mecum,
 Jam pateant portæ, portis gradiamur apertis,
 Quæque sub extremis Philyres sint finibus arva,
 Quæ loca culta domos, qui cingant mœnia campi,
 Quæve solum natura colat, quæ leniat aura,
 Lustremus propius, virides spatiemur in hortos,
 In sylvas, & prata suo ridentia flore.
 O mihi quam variis gemmantes floribus horti,
 Quantus honor veris, quæ cultæ gratia Floræ,
 Ridet, & ambrosio spectantem mulcet odore!
 Si quid habes pulchrum, si quid, Philuræa, venustum,
 Dulcius haud aliquid pictis geris alma viretis.
 Sæpius æquorea veniens Venus optima Cypro,
 Sprevit opes Cyprias, huc & diverterat hospes;
 Sæpius hic Dryades neglecto monte puellæ,
 Arbore sub patula focias duxere choreas.
 Hic homines mixti Superis, Nymphisque venustis,
 Mutua conjunctis coeunt in fœdera dextris.
 Sim licet Elysiis jussus succedere campis,
 Vix tamen Elysiis mihi sint hæc otia campis.
 Surgat ab extremis spatiosi finibus orbis
 Artificum selecta manus, quæ verberat alis

Aeriis auram, vastos agitatque Colossos
Æthere sublimi, cui sunt impèrvia nulla
Æquora Neptuni, non insuperabile cœlum,
Nil nimis excelsum est, dextraque superbit & arte,
Surgat, & ingenii si quid valet impiger ausus,
Si quid dextra potest, opera nec ludit inani,
Hoc imitetur opus, talis formetur imago,
Qualis Plissiacos Flora decorante per hortos,
Panditur, & nitido radiat pulcherrima cultu.
Hic misero quicquid premit anxia corda dolore,
Quicquid & occultis urit sub pectore flammis,
Et cruciat, molli licet hic lenire sopore,
Diffugiunt curæ, duris dolor ossibus exit.
Sunt virides umbræ, sunt densi tegmina rami,
Solibus in mediis ubi frigus detur opacum,
Mollior & veniat Zephyris spirantibus aura.
Hinc aqua per pronum trepidat cum murmure rivum,
Claro splendidior vitro, puteisque loquaces
Defiliant lymphæ, quibus omnis gaudeat herba,
Quasque bibant avido violaria roscida potu.
Hinc latet umbriferis sinuosum frondibus antrum,
Arte laboratum nulla, nisi finxerit artem
Ingenio natura suo, multa arbore septum,
Solis inaccessum radiis, ubi sæpe decoræ

Con-

Conveniunt nostræ & miscent sua gaudia Nymphæ.
Seu tibi sub patulo placeat confidere cœlo,
Ut possis spectare tui decus omne vireti,
Respice, sunt viridi tibi viva sedilia lauro,
Pendent intonso latebrofa cubilia faxo,
Stat propius Pario ductus de marmore Morpheus,
Quem circumvolitant mutatis somnia formis,
Et mulcet teneris tibi tempora frondibus ulmi,
Stat Venus & nudos offert tibi blanda lacertos,
Atque suo vult esse sinu tibi gaudia somni,
Mollius ut recubes; hinc vultu Flora fereno,
Et plenis adstans calathis, viridique corona,
Te monet, ut vigiles, oculisque insomnibus amplas
Prospicias telluris opes, quas sparserat ipsa.
Sive per apricos horti juvet ire meatus,
Et tacitas tecum spatiando volvere curas;
Huc iter ac illuc dabitur, patet ampla viarum
Semitâ, quas decies, roseos nisi spernis odôres,
Ire redire licet, nec sic fatiabere visu;
Te vertas, quocunque libet, quo tramite dulce
Esse putas gradientis iter, risusque jocique,
Et Veneres, Charitesque omnes, zephyrique benigni
Semper erunt comites, semperque sequentur euntem.
Hic lento spatiare gradu, partesque per omnes

Paſce oculos ; dedit ampla ſuis Pomona viretis
Munera, pande manus, veniet tibi ſponte, quod optas.
Arbore ſunt ſegetes, ſunt poma gravantia ramos,
Carpere quæ liceat maturis mitia ſuccis,
Et ſignis variis, & vivo picta colore,
Poma, nec Italicos tibi conſpicienda per hortos ;
Hinc auro ſimiles in longis vitibus uvæ,
Purpureæ, dolci turgentes fruge Lyæi,
Unde vigil meſſes ſperaret vinitor amplas,
Hinc ſuaves pendent ceraſi, mulcentque palatum,
Caſtanæ pendent molles, ac perſica poma,
Et pyra, quæ pingues, alienis inſita ramis,
Accipiunt ſuccos, lætoque ſub aere creſcunt
Lætius. Huc etiam tibi fas eſt vertere vultum,
Falcibus æſtivalis ubi ſciſſa a corpore matrum
Mala vides generare pyros, & in arbore ruruſ
Nunc alta prunis lapidoſa rubere corna.
Quæ tibi ſub pedibus teneræ virgulta myricæ
Serpere cernis humi, furtim tollentia ramos,
Ne fruſtra florere putes, namque altius olim
Iſta ferent arbuſta caput, tollentque ſub aſtra
Proceros apices, novus hinc progerminat hortus,
Hinc nova progenies frugum, novus exit agellus,
Qui recreet, feris faciatque nepotibus umbram.

Muſa,

Musa, quid exiguis cœlestia dicere rura
Aggrederis plectris? Sunt hæc majora canentis
Ingenio, & melius, quam possis dicere, splendent.
Quo ruis, & campi quo te duxere patentes?
Jam tibi torpor iners, viridantis & otia ruris
Ossa tenent nimium, dulci te proripe somno,
Mollibus & stratis, non his incumbere fas est,
Collige, quos nitidis sub gramine ludere flores
Cernis imaginibus, violisque rosisque coronas
Necte sacras, niteantque tuis hæc ferta capillis;
Sic decorata redi, sic longius ire juvabit.

Horridiora canam, sylvestre decentia Numen,
Pan, nemorum custos, calamos inflare palustres
Qui potes, atque jugis sylvisque vagaris opacis,
Tu quoque, qui teneram gestas Sylvane cupressum,
Vos Satyri Faunique omnes, Dryadesque loquaces,
Vosque alii, sylvas quibus est habitare voluptas,
Ducite, quæ nostris sunt frondosissima terris,
In juga me faciles, adytis succedere vestris
Me finite, & vastos nemorum lustrare recessus,
Est nemus antiquum, multa spectabile quercu,
Plisfiacos circum quod pandit brachia campos,
Et late perrumpit agros, pratisque dat umbram.

Hic roseos Zephyrus placidissimus halat odores,
Inde nemus roseum nostri dixere parentes.
Excipit intrantes annofo robore pinus,
Una nemus, fixis alte radicibus hærens,
Atque sua attollens intonsa cacumina cælo;
Huc pecus horrendum, numerosa caterva ferarum
Tempore nocturno, cunctisque silentibus Auftris,
Decurrit latebris, fociisque cubilibus altos
Ducit, & immani proflat de pectore somnos,
Atque omnes pariterque silent, pariterque quiescunt.
Panditur inde viis densum nemus omne profundis,
Quo placet ire, sacram discernit semita sylvam,
Et tollit tibi quæque suos cellissima ramos,
Dum venis, arbor humo, ne forte morentur euntem;
Per juga sic nemoris facili spatiabere gressu,
Et longum superabis iter, frondesque videbis
Surgere populeas, & crescere lætius herbas,
Hinc terræ infixas radices currere fagi,
Ceu teneræ fluitant humano in corpore venæ,
Hinc ad proceras hederam se tollere quercus,
Quantum lenta valet; nemoris mox inter opaca
Tegmina gaudebis positus ex ordine pratis,
Et procul Elistræ præterlabentibus undis
Murmure jucundo; solet huc æstate calente,

Huc

Huc Dea venatrix cum multis Cynthia Nymphis,
Funera per sylvas postquam dedit ampla ferarum,
Insidiisque lupos, canibusque fefellerat apros,
Huc properare solet venatu fessa cruento,
Per nemus umbrosum, saltumque vagata per omnem,
His recubat pratis, his tingit corpora lymphis,
Cœruleique sedens ad mollia littora rivi,
Undique sylvestres ac densas prospicit umbras.
His ubi jam patulis fueris digressus ab arvis,
En! iterum sylvas! iterum nemorosa patefcunt
Limina, quæ solis data dicas esse poetis.
Horrefces, quatietque tibi timor anxius ossa,
Has ubi tu primis tenebras noctesque profundas
Prospicies oculis, dices procul atra videri
Monstra tibi, furiasque omnes mala quæque minari,
Non tamen hic fugias, propius cum veneris, omnis
Horror inanis erit, tenuis te terruit umbra,
Aut falsa imbellis delusit imagine truncus.
Quid trepidas? hic molle tibi per lustra ferarum
Est iter, & dulces facient tibi Numina somnos.
Obvius hinc celeres ducens post terga molossos,
Inque humeris laqueos, & tela, & retia gestans,
Per juga venator dumosaque saxa vagatus,
Quem jamjam decima cum nocte fefellerit urfus,

G

Aut

Aut aper immensa membrorum mole cruentus,
Dentibus edoctus patulos deludere casses,
Suspectosque olim laqueos, foveasque malignas,
Et sibi funestis non subdere colla sagittis,
Non redit ipse domum, non urgent somnus & uxor,
Quo magis ille fugit, magis implacabilis ipse est,
Undecima sed nocte feræ vestigia quærit,
Et jove sub gelido manet indefessus, & alta
Ilice prospectat sylvas, habitacula ferarum,
Impavidus, cauteque feras speculatur euntes,
Nec prius insidiis canibusve laceßere prædam
Definit, aut pharetris abscondit missile telum,
Effuso donec sudantia sanguine crura
Viderit, & toto prolabi corpore monstrum,
Possit & innuptæ sua munera ferre Dianæ.
Obstrepit hinc tremulo philomela canora fusurro,
Demulcetque aures, & opacis abdita ramis,
Dulcisono raucæ gaudet sibi murmure vocis,
Quaque placet, longas habitati personat antri
Garrulitate vias, primoque a lumine cœptum
Noctibus in mediis modulatur amabile carmen.
Hos tibi, non aliis, credis patuisse recessus?
Falleris; ecce procul tibi lamentabilis aures
Vox hominis penetrat, venit en! quem dixeris umbram

Esse

Esse hominis, sed homo tamen, atque miserrimus ipse;
Prodit ab occultis, ubi fat latitaverat, umbris,
Demissis in terram oculis, volitante capillo,
Suffusus pallore genas, macieque lacertos
Fractus, & indomiti flammis exustus amoris,
Infelix Corydon, nuper cui virgo precanti
Oscula, & amplexus, mollesque negaverat ulnas,
Et quicquid sibi poscit amor, tristisque supremum
Dixerat ore Vale; nunc sylvis errat opacis,
Nunc latet arbutis, cœcisque moratur in antris,
Et secum sua fata dolet, secumque cruentum
Vulnus alit, queruloque ævum miserabile luctu
Tranfigit, atque aliis mage quam dilexerat unam,
Hanc sibi suspirat, queritur, lacrymatur ademptam,
Nunc furit in Superos, tumidos nunc supprimit æstus,
Et miseram tollant, rogat optima Numina, vitam,
Aut reddant sociam; nemorum nunc ipse silentum
Poscit opem, poscitque suos miserentur amores,
Seque tegant umbris; ullum nunc unde petendum,
Nescius auxilium, precibus quas mœstus ad aras
Se vertat Superûm, sedet arbore tectus opaca,
Sollicitumque levi solatur pectus avena.
Vos precor, o Superi, si sunt sua fulmina tergo
Expectanda meo, si quid me odistis, & ædes,

Quas colo, diripitis, patriæque penatibus urbis
Exul agar, jubearque sinu migrare parentum,
His, Superi, miserum si stat sententia civem
Excruciare malis, nec sit mihi semper avitas
Fas habitare domos; roseis modo detur in antris,
In sylvis stabiles mihi detur figere sedes;
Hic, ubi sylvestres tot Phœbus dividit umbras,
Tot parit æstates, pluviasque tot arcet & imbres,
Hic, ubi non Boreæ penetrabile frigus adurit
Corpora, nimbosus nec territat Auster euntes,
Hic æterna meæ placeant habitacula Musæ,
Hic mecum ipse loquar, cunctis desertus amicis,
Nunc citharas pulsabo meas, nunc carmine somnos
Invitabo leves, viridi prostratus in herba,
Nec patrios optabo focos, nec ruris & urbis
Tunc aliquis mihi surget amor, sed mollibus ipse
Inclusus latebris, urbanæ tædia vitæ
Permittam, cuicunque placent, securus ab hoste,
Tutus ab insidiis, linguisque intactus acerbis.

HActenus, o Socii, patriam spectavimus urbem,
Qua gerit & turres, & cultis cingitur hortis,
Sylvarumque jugis; nondum pia desere vatem
Turba tuum; nos urbis honor jubet esse loquaces.

Nunc

Nunc juvet arborum cultus, nunc sydera, nostras
Quæ pascunt segetes, Cereris nunc munera largæ
Carminibus memorare meis; his namque reclusus
Visceribus terræ latitat nervusque vigorque
Excelsæ Philyres, hinc venis robur opimis,
Atque graves labuntur opes, ac utile cunctis
Per summas minimasque aurum diffunditur ædes.
Non hæc vana loquor; patulis, o Lipsia, campis
Hæc geris, hæc veniens peregrinis hospes ab oris
Prima videt, visuque stupens hæc prima faterur
Non aliis sibi visa locis, gaudetque superbis,
Quas vigil eduxit congestis messor acervis,
Turriculis; hinc flava cadunt frumenta, coloni
Falce resecta gravi, longas implentia dextras,
Et patrio divulsa solo se gramine condunt
Florigero, stipulasque tegunt tellure latentes;
Haud procul erectis effert se culmus aristis,
Et caput ad soles vertit, ventisque petitus
Non ruit horrifonis, nec turbine flectitur ullo,
Nec ferrum fatale timet, quo tactus in altum
Respicit, & toto firmus stat robore contra,
Nec nisi perpetuo defessus frangitur ictu.
Salve, magna parens frugum, ditissima tellus,
Quæ natis alimenta tuis, omnique ministras

Saxonix, & larga repletas fruge quadrigas
Hinc facis ire procul, cuius se dicit alumnam,
Quæ jacet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ,
Quæque sub immensis latet abdita terra metallis,
Atque aliæ multæ, quin ipsa Boemia, quondam
Fertilis illa fatis, nunc nostris pascitur arvis.
Dic, ubi per vastos sint pinguia prata Sicambros,
Frugiferosque Indos, & opimos terra Sabæos,
Cui faveat magis alma Ceres, cui germina florum
Splendidiora daret, crescant ubi lætius orni,
Plus tepeant hyemes, & gratior imperet aura,
Agricolæve suos renovent felicius agros,
Promtius aut gravidis seges ampla legatur aristis.
Terra ferax mellis nostra est, fœcundaque frugum,
Glande nemus, pomis arbor, vitisque racemis
Crescit onusta nigris, spectatque cacumine terram.
Sponte sua vigili frondent arbuſta colono,
Fertilis huic seges est, illi felicius herbæ
Profiliunt terra, cunctis injussa virescunt
Germina, nec vanis ullum deluſit avenis
Expectata seges, tellus inarata quotannis
Dat Cererem, facilesque ferunt ſua pabula campi,
Atque ſuis lolium gaudent procul eſſe viretis.
Sæpius immenſæ ruperunt horrea meſſes,

Sæpius,

Sæpius, impletis ubi defuit area plaustris,
Cunctaque triticeis tumuerunt turribus antra,
Larga seges medios jacuit dispersa per agros,
Quæ domino neglecta suo, tot pascit egenos,
Tot fatiat patulo volitantes rure columbas.
Hinc adeo, quæcunque solent hinc inde timeri
Agricolis, ac sæpe bonos cum frugibus agros
Exurunt, luctuque domos, terrasque querelis
Implent, hic frustra quæras, miseranda nec unquam
Arboribus pomisve lues, nec lethifer annus,
Nec mala quæque ferens tempestas venit & Auster.
Non sunt, quas nostris inducat Jupiter arvis,
Undantes nebulae, gravidæ non imbre procellæ,
Nec terras quatiens Eurus, male turbidus, unde
Turribus exitium est, paupertas certa colono,
Invictæque cadunt magnis cum mœnibus urbes.
Non torret fitis ulla herbas, non Juppiter istis
Diluvium meditatur agris, non fluctus aquarum
Obruit arva ferox, rapida qui fauce volutus
Annosâs cum stirpe rapit platanosque cedrosque.
Nec tibi, Lipsa, tuas audent evertere messes,
Illa fatis nocitura cohors, avida agmina murum,
Aut rapidæ volucres, nostros quæ sæpe labores
Frustrantur nimium, seu vis male sana tyranni,

Falcesve hostiles, tristisve injuria belli,
Terribile aut si quid magis est, ac turpius istis.

QVæ mollit campos placidi clementia cœli,
Et succos infundit agris, floresque viretis,
Nos eadem, patriis qui nunc habitamus in arvis,
Demulcet firmatque animis, fortesque lacertis
Et validos reddit nervis, totoque vigorem
Corpore dispergit, tumefactæ ut sanguine venæ
Exultent, solidæque suo stent robore vires.
Invadat, quascunque velit, mors atra tabernas,
Non nostras quatiet turres, non funera nostris
Ulla dabit tectis, fugit hinc, Jove pulsa secundo,
His muris proscripta fugit, secumque cruenta
Agmina morborum, pestesque febresque furentes,
Terribilique trahit grassantia monstra veneno.
Tu miser, o quisquis procul hinc squalente sub aura
Tecta focosque tenes, membris jam fractus & æger,
Et mœstis hærens thalamis, fatalia ducis
Otia, & invalidus miserabile transigis ævum,
Fac, age, præcipitis te faucibus eripe fati,
Spes superest vitæ, tenebras linque cavernas,
Plissiacas accede domos, hoc utere cœlo,
Huc tecum non ægra feres, non languida membra;

Non

Non facie pallor, non lurida corpore tabes,
Non aliquis super ossa dolor, mortisque minantis
Horror erit; patulam simul ac transcenderis urbem,
Vita calorque tibi roburque virile medullæ,
Et vigor, & nervus fractos remeabit in artus,
Et vives, longumque tibi numerabitur ævum,
Nec nisi tarda tibi veniet post secula fenectus.

HÆC Philuræa dabit, Philyre, qua nulla per omnes
Splendidior fulget terras, nulla altius exit.

O mea, carminibus dignissima, Lipsia, Phœbi,
Haud nostris, (divina Deos nam dicere fas est)
Accipe promeritos famæ surgentis honores,
Namque Diis tua tecta placent, superasque nitore
Astriferi celsasque domos imitaris Olympi,
Perge tuum extremas venerabile nomen ad oras
Ducere, teque tuis ad sidera tollere palmis.
Hactenus immotis stetit hæc tibi fama columnis,
Robore firma suo, venit exteris omnis, & almam
Terrarum dominam Philyren vocat, atque parentem.
Non adeo poterit nobis res mira videri,
Aut Philyres major meritis, quod tanta per urbem
Turba hominum mediam spectetur, tanta virorum,
Perque forum, patulasque vias, per longa theatra,

Plebs gressus numerosa ferat referatque frequentes,
Hac stent parte fenes, juvenes spatientur in illa,
Nunc discurrentis resonent vaga murmura vulgi,
Nunc veluti nubes, effusis undique turmis,
Millia multa virum densum glomerentur in orbem,
Haud secus ac lituo miles capit arma fonante,
Ut credas rumpi densatis atria tergis,
Nunc iterum subito, (quantum hoc mirabile dictu!)
Effugiant oculos, perque abdita quisque viarum
Hinc abeat turba, sed non videatur abire.
Sive die medio, cœca seu nocte fenestris
Prospicias, aliquis semper strepitusque sonusque
Prætereuntis erit, semperque videbere civi.
Haud fugiet vestrum quenquam, nisi forsitan omnem
Hactenus ignoret Philyren, quot Lipsia passim
Templa gerat, vastis quam sint spatiosa facellis,
Ut fere dent urbis speciem formamque minoris,
Ista tamen, fenis festo redetunte diebus,
Singula sunt hominum diffusis cincta coronis,
Nec superest spatium tarde venientibus ullum,
Aut locus, aut sedes, quam non jam ceperit alter.
Sæpius hinc olim mecum mirabar, & ipse
Hærebam dubius, qui tantæ copia gentis,
Tot capitum spectata manus, quæ creditur amplo

Suf-

Sufficere imperio, focia simul urbe morari
Pliffiaca possint, cœloque fruantur eodem,
Aut qua quisque domo latitet, quibus abditus antris?
Nil ego diffimulo, fateor, mihi sæpius olim
Pro monstro res ista fuit, res plena stuporis,
Nunc nihil id miror, postquam huc spatiatus & illuc,
Immensas vidi latebras, fociosque penates
Sæpe viros centum communi claudere tecto.
Huc etenim plenis Italus Gallusque quadrigis,
Huc & hyperboreis latitans procul hospes in arvis,
Quemque suo Philyre fulgenti perculit ostro,
Excitus immensi peregrinis finibus orbis,
Advehitur, multamque gerit cum conjugè prolem,
Atque novam hic generat, longaque propagine crescit,
Ingentisque pater stirpis proavusque vocatur.
Ipse ego non paucos memini, per inhospita saxa
Qui latuere diu, seu longa per æquora jacti,
Per freta, per terras omnes, montesque viasque,
Ventorumque minas, fluctusque furore tumentes,
Atque Jovem experti rapidum, sævasque procellas,
Ignari, quæ tecta petant, quibus otia campis
Certa sibi tandem sperent, ubi cœna Laresque
Sint stabiles, placidis ubi sit requiescere lectis,
Huc puppes vertere vagas, hic posse ruentis

Surgere fortunæ columen, duxere, suisque
Confisi Superis, vèctique faventibus astris,
Hic tandem profugos læti posuere penates.

INclyta quid memorem longisque illustra seclis,
Stemmata, multorum jactantia nomen avorum,
Non una diffusa domo, radice sed alta,
Et patulis ramis totam dispersa per urbem,
Quæ licet a tenui quondam sint condita stirpe,
Atque humiles venerentur avos, labentibus annis,
Innumeris crevere viris, istisque refulgent
Moenibus, & nostræ qua fertur gloria gentis,
Inclyta Plisfiacæ dicuntur sydera terræ.
Inde per antiquas proles WINCKLERIA palmas,
Per propriæ virtutis opus, laudesque parentum,
Surgit ad æternæ præconia splendida famæ,
Fulgentisque capit decus immortale coronæ.
Hinc claret RIVINA domus, tot maxima patrum
Atque suis meritis, tot avitis inclyta factis,
Quæ calido fervens generosi sanguinis igne,
Perpetuumque gerens valido sub pectore robur,
Nunc quoque, qua priscis effulsit splendida seclis,
Nobilitate viget, nunc & præstantibus ausis,
Qua virtus hortatur, eunt, & fortiter almæ,
Qua

Qua fuerant geniti, meditantur commoda terræ,
Æternumque decus patriæ, propriæque coruscum
Splendorem genti, fummosque minantur honores.
Quem fugit at nostrum, qua stirps OLEARIA prole
Latius exierit, cunctasque impleverit oras?
Nam, bene si memini, per plurima secula robur
Sustinuit gens ista suum, summasque per urbes
Digressa, huc pleno confederat agmine, moxque
Tot dedit ampla viros, quot surgunt culmina cedro
Umbrifera, quot larga solet dare messis aristas,
Et viridi pingues baccæ carpuntur oliva.
Me mea, spectantem Aonii tot sydera Pindi,
Lumina deficiunt, propius dum lustro, refulgent
Carminibus majora meis; Quis dicere magnos
Ausit STEGEROS, BOSIOS, celebresque SCHACHEROS,
CARPZOVIOSQUE Tuos, Philyre, quos fama per orbem
Inclyta jam loquitur, propiusque locavit olympo?
His adeo, centumque aliis, quos dicere tempus
Et pudor haud patitur, quamvis sint carmine digni,
Quales vix ullis aleret Germania campis,
Vix apud Ausonios, vix toto inveneris orbe,
His adeo longis plaudit Philuræa nitetque
Ordinibus generum, primosque in fronte virorum
Constituit, dicitque suis data fulcra lacertis.

K

Nec

Nec minus a reliquis, quibus hæc habitanda favente
Numine contigerat tellus, quos nuper utraque
Sponte manu admissos Philuræa tuetur, alumnis
Accipit alma decus; tenet hanc sibi Lipsia laudem
Per Superos propriam, ventura nec auferet ætas,
Ingenuam quod semper alat dignamque coronis
Magnificis gentem, cui fortia brachia nervus
Cingat & æs triplex, imis & femina recti
Visceribus sedeant, ac tædia nulla laboris,
Unde & felicitis sibi furgat gloria prolis.

Ergo sub eductis quales tibi, Lipsia, muris
Sint cives, variam quo jungas foedere plebem,
Quo niteant cultu, qua religione sacrarum,
Quas dederas, stabilem legum tueantur honorem,
Calliope mea Musa canat. Virtutis eodem
Quisque calore viget, perque ignea pectora firmum
Robur habet stimulante Deo, rapiturque ruitque
Æternæ per laudis iter, gaudetque per istas
Fortius ire vias, socios & vincere cursu
Præcipiti cives, & castis cedere nulli
Moribus; hinc nullis concordia rupta querelis,
Candida Musarum nutrix, sacrisque refulgens
Laureolis, patriis nunquam fugit exul ab oris,

Sed

Sed stabili firmata loco, per mutua gentem,
O Philyre formosa, tuam conjungit amoris
Vincula, ut optatæ sint dulcia gaudia pacis,
Unaque fit cunctis facies, amor omnibus unus,
Una quies, sociæque domus, nec mollius unquam
Frater amet fratres, tenerasve columba columbas.
Per caput hoc juro, per conscia Numina nostræ,
Qua fruimur, vitæ, per, si qua putetur & istis
Esse fides dictis, non istis mœnibus ullum,
Dum steterant, latitasse virum, qui struxerit atras
Insidias patriæ, Stygiis aut percitus hydriis,
Horribilem nostro scædarit sanguine dextram,
Inque jecur Philyres furialia verterit arma
Perfidus, aut fummas in bella coegerit ædes,
Unanimosque suis facibus turbare sodales
Ausus, & internis cunctos evertere flammis.
Haud aliquem furor iste juvet, nec nostra profecto
Id patitur virtus, adeo deforme nec isto,
Quem gerimus venis, generetur sanguine monstrum.
Ut solet in pleno pecudum grex mitis ovili
Se placidis sociare toris, & mollia septo
Corpora vicino jungit, propiusque tenellis
Oribus ora locat, mansuetaque miscet ovantis
Murmura balatus, nec hianti devorat ore

Pabula, communi sed dividit omnia pastu ;
Sic focii dudum quoque nos tenuere Penates,
O soboles dilecta Deo, sic mollia nostris
Otia mista jocis sub eadem ducimus umbra,
Nec tenero, si fata volunt, divellimur unquam
Amplexu, rapiat nec gaudia nostra propinquus
Zoilus, aut miseros agitans mala pestis Erinnyis
Et crucians animos, manibus sed mutua junctis
Fœdera firmamus, famamque, & cuncta secundæ
Munera fortunæ, vastos & quicquid acervos
Ditat & auget opum, partes partimur in æquas ;
Quin etiam mortem funusque paciscimur omnes,
Si liceat pro cive mori, nec nesciat alter
Alterius pro luce suam contemnere vitam.
Non hæc sola tamen pietas, non ista per urbem
Sola nitet virtus, major meliorque patefcit
Virtutum campus, nostris splendentior alma
De patria meritis; quis enim temerarius aufit
Hic ullum deforme scelus narrare patratum,
Aut ullum ferale nefas? quis moribus olim
Se quicquam vidisse ferat culpabile nostris?
Gaudet enim Philuræa, suis mala monstra virorum
Esse procul tectis, non hoc ad limen avaros,
Non cupidos fraudis, doctosve ad furta magistros,

Aut

Aut focios Bacchi, turpive libidine fractos,
Aut nimis enervos turpi venisse veterno.
Non sunt, qui Laribus noceant, & gutture sicco,
Dum premit atra fames, macies dumque ossibus hæret,
Qui circumfiliant avidi mensasque dapesque,
Et captent rabida pinguissima fercula fauce,
Nec renuant domini fluitantia sputa labellis,
Et tot complexus, tot sparsa papavere verba,
Tot dextras cum fraude datas pro munere solvant,
Subdola quot gliscunt per fauces pocula furtim.
Prodeat huc aliquis, nostræ quem conficit urbis
Gloria, & exanguis cui rumpit pectora livor,
Prodeat ex latebris, & spumans corde venenum,
Eruçtet, nunc &, quæ possit dicere, nostrum
Dicat in opprobrium, stans & sublimis in alto,
Quem velit ipse, loco, facundo clamitet ore,
Milleque monstra ferat, nostrum quem censeat atri
Criminis esse reum, nec tanto limine dignum,
Hunc notet ipse manu; vos at spectate loquentem,
O cives, hostem, longis & cingite turmis
Impavidi, mendacis enim quid fabula linguæ
Terreat infontes, quid vos commenta furentis
Percutiant animis? Infanas spernite voces,
Vestraque stet contra virtus infracta, suisque

L

Efful-

Effulgens palmis, turpissima verba minasque
In steriles faciat vanescere protinus auras.
Non opus est, validis supremi iudicis armis
Terrori tollique nefas, erecta nec istas
Dedecorant portas fatalia ligna trabesque,
Nec rota, quæ tetrus hominum stert squalida truncis,
Aut stipes funesta, latro qua pendeat atrox,
Constrictus laqueis fauces, aut horrida visu,
Quæ super adscendat licitor tortorve, theatra,
Tristius aut si quid magis est, quod sæpius ipso
Terreat aspectu, tremefactaque frigore membra
Concutiat gelido, faciatque rigescere fauces.
Sit sua vicinis, Philyre non invidet, oris
Gloria, detur iners laus mœnibus ista superbis,
Si quædam laus esse potest, quod tristia natis
Tot faciant spectacula suis, quot dicitur ingens
Annus habere dies, quæ vix tibi cernere binis
Hic detur lustris, nec ferra cruenta quiescant
Cæde hominum, coluit quos ingens mater alumnos,
Totque gerat miseros, manibus post terga revinctis,
Et rapiat laqueis ad tristia funera licitor,
His metat ense caput, flammis hos tollat & igne,
Semper & horribili resonent vaga mœnia luctu.
O Superis gens cara Diis, o digna coronis,

Non

Non cruce, non ferro, si quæ mihi præscia virtus

Vatis inest, placidi maneant te præmia fati!

Quæ decorant Philyren, superest, ut singula paucis
Expeditam dictis; etenim quæ sæpius olim
Defixos tenuere oculos, quæque ipsa nitore
Effulgent fat clara suo, cantare disertis
Haud opus est verbis. Nostrum vix nesciat ullus,
Quam pateant longas commercia nostra per oras,
Quasque procul mittamus opes, quas advehat Indus
Divitias, Philyren faciatque nitere lapillis
Quam nitidis, pelagi spumans quos evomit unda.
Navigat impavidus, celeri volitatque carina,
Ut bene sit patriæ, mediis mercator in undis,
Atque sua æquoreis capit otia mollia turbis,
Quæque procul latitant extremis abdita terris,
Quæque gerit pretiosa suis reclusa cavernis
Africa, & Eoi quos spargit thuris odores
Terra ferax Arabum, plenis huc navibus affert,
Atque suam Philyren, magnam ditare parentem
Gaudet, & immensas late diffundere merces.
Scilicet haud ullum per summas eminent urbes
Emporium, volucres soleant cui tendere naves
Latius, & primas concedat Lipsia palmas.

Sit tibi, sit laus ista ingens, at major habetur
Gloria, tot pulchras Philyren generare puellas.
Abjice Musa fides, hæc rauca dicere voce
Est scelus, hæc oculis opus est ad carmina blandis,
Et Venerum labiis, mollique Cupidinis arte,
Abjice Musa fides, nunquam tua fistula possit
Has cantare Deas; Veneres Venus ipsa loquatur.
His Paris Iliacus si confedisset in agris,
Impavidum jussus divinæ dicere formæ
Judiciûm, & magnam Superûm componere litem,
Quæ reliquas vincat specie, quæ corpore toto
Per cœlum, & vastam sit formosissima terram,
Hac nostra si forte oculis volitantibus urbe
Spectasset patulis radiantia fydera muris,
Unaque de nostris, niveo quas fronte colore,
Et Paphiis cervice rosis, & floribus ore,
Mollibus & passim violis, passimque ligustris
Pinxerat alma Venus, processerit obvia virgo,
Hanc Paris, hanc manibus subito tenuisset utrisque,
Contemnens negligensque Deas, hanc diceret ipsis
Prælatam facile Superis, huic aurea soli
Poma daret, formæque decus, seu regia Juno
Seu Venus ipsa petat; media tamen urbe moratus,
Cum videat rursus tot pulchro corpore Nymphas,

Tota-

Totaque formosæ spectaverit agmina gentis,
Ipse suum damnasset opus, dubiusque stupensque,
Quæ palmis sit digna suis, quamque omnibus unam
Præferat, in tanta vix sciret dicere turba.

HÆC quoque sic nostræ sint tuta silentia Musæ.
At pergat tamen illa loqui, patriæque nitore
Gaudeat illa suæ, filium nec deferat ingens.
Hoc etenim dicatur iners & inutile carmen,
Et Philyres de laude nihil cecinisse putabor,
(Ut videar cecinisse nimis) nisi splendida Vestris
Laudibus, & propriæ rapiens præconia famæ,
Nunc quoque sit nostro celebrata Academia cantu.
Dic, licet, excelsam Philyren sub mœnibus altis
Laudis habere nihil, nihil esse, quod urbibus olim
Non dederit fortuna suis, sit pauper, & omnis
Indiga consilii, sit turpi sordida cultu,
Et nullis dilecta Diis; te, Lipsia, celsæ
Efferet ad Superos doctrinæ splendor & artis.
Stat senior meritis, cano & venerabilis ævo,
Ter stetit alta suis rediens Academia seclis,
Ter longum perripuit iter, nec firma lacertos
Destituit virtus, validos nec robora nervos.
Quam semper sit blanda suis, quam mulceat ora

M

Filio-

Filiolis, tenero quos dignos sentit amore,
Nec rigido genitos Phœbo, Vos dicite, longis
Carmina qui stantes captatis nostra coronis,
O Philyres insigne decus! Vos dicit alumnos
Ipsa suos, Vos docta sacris oracula Musis
Et Phœbo cantata docet, castisque Minervæ
Vos adytis, magnæque facit succedere matris
Vos templis, ut blanda suo Vos Numine Pallas
Impleat, ac animis cœlestis molliat aura.
Mens mihi sæpe stupet, mecum dum cogito summos,
Quos habuit Philurea, viros, quos ampla nitensque
Non patitur doctrina mori; quem nomina docti
MEURERI CROCICQUE latent, celebrisque MOSELLÆ?
Eminuit prisco magnus CAMERARIUS ævo,
PISTORIUSQUE ingens; at proxima tempora nostris
Dant RECHENBERGOS altos, OLEASQUE virentes,
NUNC ETTMÜLLEROS medicos, RIVOSQUE fluentes,
Quosque tacere nefas, magnum par CARPZOVIORUM.
Nec quoque Tu nostris numeris intactus abibis,
HEINRICE Illustris, nostris qui nuper in agris
Fulisti stellas velut inter luna minores,
Juraque servasti Themidos, pietatis & alta
Stare jubes monumenta Tuæ, quo dante redibit
Dextra mihi gravis ære domum, quo læta superbit

Mune-

Munere Calliope, dextræque dat oscula danti.
Heu mihi! quo ravior? cum nigris miscear umbris?
Audaci veniam nostræ concedite Musæ,
Felices animæ, nostri sacra nomina Pindi,
Hanc sua tum pietas, vestræ tum copia laudis,
Et nunquam mortalis honor, celebrataque virtus
Officii memorem jubet esse, facitque loquacem.
Et quis tantorum, quis dicere singula fando
Nomina, & innumeras palmas numerare virorum
Audeat, aut facili cunctos deducere cantu?
Terra tegat, quos prisca tulit, quos foverat ætas,
Nec redeant umbris, sunt his quoque nomina seclis
Inclyta, sunt priscam longe superantia famam.
Per fora, per doctæ penetralia cuncta Minervæ,
Perque domos posuit fulgentia sydera Phœbus,
Seu rapiat nitidis splendens te curia stellis,
Seu mage prudentis percellat fama Senatus,
Qui patrum consulta tenet, legumque vigorem,
Datque procul Gallis, dat candida jura Britannis,
Et secat ambiguas, magno TE PRÆSIDE, lites,
O decus, & famæ merito pars maxima nostræ,
O GRIBNERE Heros, quo nil divinius unquam,
(Testor enim Superos, non hæc me vana profari)
Nil majus, dum nostræ suas Academia princeps

Servabit palmas, istis generabitur oris,
Quem spectat nunc omne forum, timet omne tribunal,
Quem Colchus Dacusque sciet, discetque Gelonus
Ultimus, & rigidi cantabit fistula Thracis.
Siste Camœna gradus, huc & tua lumina volve;
Quot cernis blandos hæc per subsellia vultus,
Tot Phœbos spectare datur, tot cingere frontes
Gestit laurigeris Philuræa superba coronis.
Dum procul hos Europa viros exfurgere fama,
Et longum jactare videt decus omne per orbem,
Indignata, suos non ferre hæc robora nervos,
Nec nisi mansuetas didicisse creare columbas,
Te, Philyre præclara, timet, non hanc tibi palmam
Eripere, aut præferre suos, umbrasque virorum
Audeat innumeris heroum opponere turmis.

Hos aluit fovitque sinu bona Lipsia natos,
His stetit incolumis, stetit invictissima fulcris,
Perpetuumque decus servavit, & altius altis
Urbibus emicuit, propiusque accessit olympo,
Nec posthac ruitura magis, nec mœnibus unquam
Collapsura suis; erit hæc tibi major at olim
Gloria, per Superos veniet nec degener ætas,
Et quod turrigeræ frustra sua fata rogarunt

Sæpe

Sæpe urbes, volvenda dies tibi deferet ultro,
tabit enim infractis olim Tua fama columnis,
Lipsia, nec priscos, rapuit quos funus & ævum,
Optabis remeare duces, & adesse gementi,
Jam validos firmata viros cum fecerit ætas,
Quos sine voce vides primis nunc ludere cunis,
Imbelles pueros, mollique ex ubere matrum
Nectareos succos roburque haurire virile,
Et jam jam teneras duris allvescere virès
Casibus, & secum puerili voce parentes,
Factaque, quæ pueros urgent, numerare paterna,
Scilicet, immenso quæ sunt educta labore,
Moenia ne subito concussa fragore vacillent,
Quisque sui similem generare per omnia prolem
Scit pater egregius; viget & generosus in illa
Sanguinis antiqui calor idem, ac impetus idem.
Non ita, si parvis liceat componere magna,
Sunt canibus catuli similes, aut matribus agnæ.
Sic faciem, sic ora gerunt, sic lumina vibrant,
Sic agiles flectuntque pedes, & corpore toto
Sic captant vigilum decus immortale laborum.
Robur enim indomitum validæ virtutis, & ignes
Indolis egregiæ, divinaque semina recti
Materno cum lacte bibunt, servantque medullis,

N

Incen-

Incensique animos famæ venientis amore,
Luminibus patriis avertunt lumina nunquam,
His defixi hærent, & quod laudabile factis
Esse vident patriis, primis imitantur ab annis,
Et similes ineunt cursus, quæque horrida nulli
Sunt adeunda viro, terrent ubi fulmen & imber,
Invidiæque furit rabies, tristesque minantur
Æmuli, & audaces prohibet labor arduus ausus,
Huc, modo Pieriæ spes sit certissima lauri,
Præmia nec fallant alacres, nec fama merentes,
Huc volucris penetrare gradu, vis ignea mentis,
Acris & ingenii jubet ardor, & insita virtus.
Sic crescit, roburque capit, surgitque repente,
Et medios permista viros, caput erigit altum
Læta cohors juvenum, genuit quos Lipsia mater,
Ceu solet interdum culto flos pinguis in horto,
Pulvere terra suo quem clausum nuper habebat
Carceribusque suis arvisque sinuque sepultum,
Quemque nives gelidæ, pluviusque illuferat Auster,
Et rapidæ summis delapsæ montibus undæ,
Nunc subito, cum vere novo se vestit agellus,
Profilit ex latebris, hilari nunc fronte supremos
Respicit ad soles, niveoque exutus amictu,
Lætius ora gerit, viridique decorus honore,

Et

Et matutino nutritus rore, suaque
Se propria virtute movens, Zephyrique benignis
Flatibus, & rosei firmatus munere Solis,
It, properat, crescitque magis, foliisque superbit,
Despicit inde leves frutices, humilesque myricas,
Et super his alacris mox ambitiosius exit,
Extollitque caput, pictusque colore nitensque
Purpureo, suavem late diffundit odorem,
Nec pluvias horret, medioque in turbine frontem
Explicat, immotusque suo se robore servat,
Semper & herbosi celebratur gloria prati.
Tuque adeo, dudum cui stat fœcunda propago,
Plaude fecuturis, aderunt tibi, Lipsia, seclis,
Huc illuc converte oculos, orientia cerne
Sydera, magnanimi surgunt ubicunque nepotes,
Excipiunt natos nati, densusque virum vir,
En surgunt, secumque novos tibi, mater, honores,
Alma, ferunt, mortale nihil gens ista patrabit;
Non erit his animus lucis contemtor, & ausus,
Sed poteris summis socios tibi jungere rebus,
Et, tibi si placeat quævis invadere magna,
His poteris ducibus; missa hæc tibi munera Phœbo,
Sedibus & patriis cœlesti nube coactos
His hæerere locis, & magnam condere gentem

Respice, materno caleat tibi pectus amore;
Nunc age, venturos generoso ex sanguine blanda
Amplexare manu, rerum dabit esse magistros
Jupiter hos fummos, patulos expansa lacertos,
Exultansque animis, vultusque induta serenos,
Delectare tuis, caput hinc super alta superbum
Astra geras, molles agedum nunc collige flores,
Ne defint sua dona viris, roseisque coronis,
Et redimita sacra niteant fac tempora lauro.

Cogite vela retro nautæ. De laudibus almæ
Sistmatris dixisse satis; vix Lipsia nostræ
Vix poscat prolixa magis præconia linguæ.
Non ego, si centum dederit mihi Jupiter ora,
Et centum citharas, totidemque per ossa furores,
Non ego, quod superest, ingens dimetiar æquor,
Musa nec omne tuum cantabit, Lipsia, nomen;
Jam medium vix carpit iter, jam languida gressu
Membra trahit, sentitque suos lassata dolores,
Nec manibus pedibusque valet, nec plectra movere
Amplius audet iners, gemit, & sua retro retorquet
Lumina; Vos, Socii, querulæ miserescite Musæ,
Et finite ad proprios fessam remeare penates.

Ergo

Ergo meæ quicumque ferox horrenda minetur
Funera nunc Philyræ, furiisque laceſſat & armis,
Quem juvet, hæc rapidis abſumta palatia flammis,
O patria, hoſtili feu diruta cernere ferro,
Hunc peſtis mala quæque metat, jubeatque paterna
Extorrem fugitare domo, proprioque reſidat
In tergo furiale ſcelus, crucietque furentem.
Si fluat ulla meis mihi perfida guttula venis,
O Superi, purum facite hoc mihi ſanguine corpus,
Aut fuger, & celiſ his pellar mœnibus exul,
Non patria dignus tanta, nec Numine tanto.
Vos quoque, quos eadem mecum dulciſſima tellus
Jungit, & immenſis opibus facit eſſe beatos,
Pergite ſub patriis hæc otia ducere tectis,
Veſtraque Pliffiacis diffundere gaudia campis.
At te, quæ noſtris ſemper celebranda Camœnis
Inclyta ſtas celiſ & ſtabis patria muris,
Te decus æternum maneat, majusque rapacis
Inſidiis ævi; da dulce cubile ſub umbris
Eſſe tuis, virides creſcant tibi frugibus horti,
Lætaque ſit cultis ſemper tibi meſſis in agris.

Surge, age, paciferæ teneris tibi, Lipſia, ramis
Cinge comas oleæ, pacem tibi ſpondet Apollo,

O

AUGU-

AUGUSTUSQUE Deus, redeunt tibi secla quadrigis
Aurea purpureis, priscos superantia soles,
Et cultu decorata novo; non turbida posthac
Non tenebrofa tuas involvent nubila terras,
AUGUSTUS dum scepra geret, dum ferrea, Princeps,
Imperii stant fulcra Tui, templisque focusque
Dum dabimus sacra thura Tuis, spesque unica gentis
Diceris columenque piæ, certumque Camœnis
Palladium nostris; celsum sic lætius alma
Extollet Philuræa caput, turreaque domosque
Altius aerias sub sydera ducet & arces,
Splendidiusque suis rutilabit picta lapillis,
Et gemmis fertisque suis; sic longa nepotum
Agmina, mille suo cinget pro Principe natos,
Armarique jubet, nullasque timere phalanges,
Non pugnas, non tela gravi vibrata per auras
Pondere, sed medios irrupere fortiter hostes,
Et validas firmare manus, & pallida circum
AUGUSTUM glomerata Patrem propellere tristes
Funera sub tenebras, ac fortia sistere contra
Pectora. Namque Tuo Philyræ vix mitius unquam
Imperium dabitur, sceptris se mollius ullis
Mulceri pascique negat, nec legibus ullis.
Nos Tua dextra tegat, nostrisque refulgeat agris,


REX

REX AUGUSTE, Tuum nunquam mutabile fydus,
Et patrias tueare domos, Philyrenque Tuamque
Protege Saxoniam, ne vis aliena quietem
Eximat, aut rigidi funesta pericula Martis,
Quique solet tristes procudere civibus enfes,
Et miseras flammis urget furialibus urbes,
Nos furor, & subitis rapiat discordia turbis,
Ac placidis nos pellat agris, sed fertile lauro
Ille Tuus Saxo Te salvo transigat ævum,
Et faustis iterata viis, & mollia tanto
Auspice non rupta numeremus secula pace.



820 15 22

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten text at the bottom of the page, possibly a library or collection number: H. Sax. H. 963.

H. Sax. H. 263

